



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS
EX-||PLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

IV. Idem ostenditur ratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)

CAPVT QVARTVM.

Idem ostenditur ratione.

ACCEDAT etiam congruentia rationis. Deus enim cuius perfecta sunt opera, Deuter. 32. cum dat potestatem, dat etiam ea, quæ requiruntur ad eius legitimum, & congruentem vsum. Id videmus in rebus naturalibus, quibus Deus non tantum potentias operatiuas dedit, sed etiam certas qualitates, & instrumenta, quibus expedite, & rectè illis vtantur. In Ordinatione autem sacra datur homini potestas conficiendi, & ministrandi Sacramenta; quæ certè à peccatore rectè exerceri non potest. Dabit igitur Deus simul cum ea potestate, etiam gratiam iustificantem, & perficientem animam, vt ritè fungatur tanto ministerio. **PRAETEREA**, si in Baptismo, in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam, & alia Sacramenta, datur simul cum ea potestate gratia gratum faciens, quia sine ea non rectè percipiuntur Sacramenta cetera: cur in Sacramento Ordinis, in quo datur potestas conferendi Sacramenta, non simul etiam dabitur gratia gratum faciens, cum non minus peccatum sit homini indigno Sacramenta tradere, quàm accipere? Quod si in hoc Sacramento datur gratia gratum faciens, certè Sacramentum erit verè, ac propriè dictum: omnis enim caeremonia instituta ad sanctificandum, Sacramentum est propriè dictum.

Accedat **VLTIMO**, quod aduersarij nihil habent, quod obiciant, nisi argumenta illa negatiua, & leuia, quæ nos supra dissoluimus.

CAPVT QVINTVM.

Episcopalem Ordinationem Sacramentum esse.

SEQVITVR SECVNDa quæstio; Quinam Ordines sint Sacramenta. Septem esse Ordines demonstrauimus in primo libro de Clericis; videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum, Ex quibus Ordo Sacerdotum duplex est: sunt enim alij maiores